

VERSION IMPROVISÉE 3

Giovanni Gioviano PONTANO,

De l'amour conjugal (De amore coniugali), I, 7, v. 1-22, 35-46 et 53-80

Un amour enivrant

L'humaniste italien Giovanni Gioviano Pontano (Ioannes Iouianus Pontanus), né près d'Assise en 1429 et mort en 1503, connut une carrière politique et littéraire prospère à la cour de Naples. Après avoir chanté, à la manière des élégiaques antiques, ses amours dans *Le Parthénopéen* ou *les Amours*, il épousa Adriana Sassone (1444-1490), qui lui inspira le recueil intitulé *De l'amour conjugal*, qui représente une certaine nouveauté, et même une nouveauté certaine, dans la veine amoureuse. Elle est ainsi célébrée sous le nom d'Ariadna, qui, dans ce long poème où le vin coule à flots, n'est pas sans rappeler une autre Ariane.

Animum suum alloquitur

- 1 Heus ibis, sine me tamen ibis, quo duce, quaeso,
O anime ? Anne Amor est qui tibi monstrat iter ?
Scilicet ille uiae tibi duxque comesque futurus
Et dominae tecum commodus hospes erit.
- 5 I felix, felixque redi, felicior hospes !
O utinam qui te, nos quoque ferret Amor !
Me miserum, quanti montes et flumina quanta
Amplexus prohibent, cara Ariadna, tuos !
Quid tecum, Arne, mihi ? Quid cum Rhenoque Padoque ?
- 10 Aut quid cum telis, Mars uiolente, tuis ?
O pereant ensesque feri galeaeque minaces ;
Pax, ades, et uincto praelia Marte uacent !
Pace coronati ludunt ad pocula amantes,
Inter et insanos uina ministrat Amor,
- 15 Atque aliquis memor absentis conuiua puellae
Cantat, dumque canit, ebria turba fauet,
Sollicitaque choros planta implicat, adsonat udis
Tibia et aurato pectine pulsa chelys.
Pace Ceres Bacchusque uigent : tum uinitor uuas,
- 20 Tum messor spicas grataque poma legunt ;
Assidet his coniunx, posito quae sedula fuso
Optatasque dapes uinaque inempta ferat [...]¹.
- 35 Inde domum laeto comitatur fistula cantu,
Splendet ubi apposito mensa benigna mero ;
Ipsa uiro coniunx uxorique ipse ministrat,

¹ Les travaux des champs se poursuivent, puis viennent les jours de fête.

Et plaudit dominis sedula turba suis ;
 Vina diem celebrant, uino somnusque Venusque
 40 It comes et Veneri gaudia nota suae.
 O qui me Boreas, o qui diuusue deusue
 In gremio sistat, pulcra Ariadna, tuo !
 Bacche, ueni memor ipse tuae, sed contine ab ista,
 Meque feras curru, Bacche benigne, leui ;
 45 Ipse tuas referam laudes : tu gaudia maestis,
 Tu requies fesso es, te sine dulce nihil [...]¹.
 53 Tunc iuuat inter opus raptimque interque laborem
 Oscula de roseis grata tulisse labris,
 55 Tum sparsos libet ad frontem componere crines
 Turbatasque manu restituisset comas.
 Felices Arabum gentes, quibus uxor in armis
 Astat et audaci strenua fertur equo :
 Illa sudes hastamque uiro iaculumque ministrat,
 60 Adiuuat, et nulli non fauet ipsa loco
 Communisque utrique labor fortunaque belli
 Atque idem casus uitaque morsque manent.
 O mihi si, coniunx, o si galeamque sudemque
 Ipsa geras, forti quam lubet esse mihi !
 65 Castra placent ; date tela mihi, perque arma tubasque
 Jam iuuat audaces conseruisse manus.
 Dum lateri meus ignis adest, non ipse uerebor
 Solus in aduersos corpora ferre globos,
 Solus et urgenti clipeos opponere turmae ;
 70 Mille licet feriant, mille repellat amor.
 Me miserum, neue ora calor, neu frigora laedant,
 Atterat, heu, molles neu grauis hasta manus !
 An mihi iam fuerit dulcis uictoria tanti
 Vt tibi sint formae damna timenda tuae ?
 75 Tene ego sustineam rapidi fera sidera Cancrī,
 Tene graues hiemis continuare niues ?
 Tene imbres Eurosque ? Procul sit gloria belli,
 Rursus in aërios, praelia, abite Notos,
 Et rursus, pax alma, redi, cui blanda uoluptas
 80 Sit comes et felix omnia cantet Amor !

(62 vers – 411 mots)

¹ Le poète s' imagine aux champs avec son aimée.